

viam omnem novæ hæresi intercludere (a).

CAPUT IV.

De communione idiomatum et adoratione Jesu Christo debita.

Expositis et vindicatis quæ ad essentiam, ut ita dicam, mysterii dominicæ Incarnationis spectant illudque constituunt, reliquum est ut præcipua colligamus consecraria, quæ ex eo profluunt. Talia porro sunt idiomatum seu proprietatum communio sive communicatio, et adoratio Christo debita, quæ exurgunt ex unitate divinæ personæ et hypostatico duarum naturarum nexu. Ne tamen quæ expendenda suscipimus simul collecta confusionem ingerant, ea in duos articulos dispertiemur, ut singillatim de propositis doctrinæ capitibus agamus.

ARTICULUS I. — *De idiomatum communione.*

Quod a latinis *communio idiomatum* seu proprietatum appellari consuevit, a græcis *ἀντιθέσις* (*antithesis*), seu *mutua communicatio* aut etiam *permutatio* dicitur. Si rem vero spectes communicatio idiomatum ea est, qua utraque natura, et utriusque naturæ proprietates sic enunciantur de Christo, ut quæ conveniunt ho-

(a) Et hæc perstrinxisse circa causam Honorii nobis satis sit, et quidem in hypothesi de integritate epistolarum Honorii, prout referuntur in actis concilii VI et in hypothesi de integritate actorum ejusdem concilii. Nemo enim ignorat Card. Baronium plurimum elaborasse tum ut ejusmodi documenta adulterata esse ostenderet, tum ut spurias evinceret epistolas Leonis II. datas ad Imp. Constantinum, ad episcopos hispan. et ad Hervigium regem. Quam defensionis rationem denuo secutus est Jo. Bap. Bartholus episc. feltriensis in cit. apologia pro Honorio, saltem quod attinet ad epistolas Leonis II et epistolas Honorii quas interpolatas esse contendit. Quoad epistolas Honorii ipsis favet quod scribit s. Maximus Confessor in tomo dogmatico ad Marinum p. 155. ed. cit. nempe « sanctissimum abbatem Joannem, ei (Honorio) ab epistolis adiutorem affirmantem, nullo modo in ea (epistola) per numerum unius prorsus voluntatis mentionem fecisse, licet hoc nunc ab eis conflictum sit, qui epistolam græce reddiderunt ». Quod tamen quomodo cohæreat cum iis, quæ ex cit. disput. cum Pyrrho superius indicavi, non video. Hæc enim leguntur l. c. « Is igitur (abbas Joannes Honorii amanuensis) cum ad sanctum Constantinum Imperatorem, ex persona rursus sancti Joannis Papæ de hac epistola scriberet, dixit: *unam voluntatem diximus in Domino*, non divinitatis ejus et humanitatis, sed humanitatis demtaxat. Cum enim Sergius scripsisset, quod quidam duas voluntates in Christo contrarias dicerent; respondit: *unam voluntatem diximus*, Christum non duas contrarias voluntates habuisse; carnis scilicet et spiritus, sicut nos habemus post peccatum, sed *unam tantum*, quæ naturaliter ejus humanitatem insigniret. »

Quod spectat ad actorum concilii VI et epistolarum Leonis II. veritatem, et integritatem cf. quæ egregie scripserunt Jo. Garnerius S. J. in op. *Liber divinus roman. pontificum* diss. I. §. VI seqq. Combefisius *Dissert. apologetica pro actis sextæ synodi*, Lupus in *dissert. De sexta synodo* ad act. XVIII. auctor anonymus *Historiæ monothelitarum* in scrutinio VI. Pagninus in *Critice Baronii* ad an. 681. ad num. XXXI seqq.

Quo vero sensu interdum nomen *hæretici* usurparetur, et applicatum fuerit Honorio cf. Bolgeni S. J. in op. *Fatti dommatici*, e. IV. prop. VI.

mini ea tribuantur Deo, et quæ conveniunt Deo, de homine prædicentur. Fundamentum et causa proxima mutua hujus idiomatum communicationis est hypostatica duarum naturarum unio, hæc enim sublata, jam nullum locum habere posset. Tanti interest diligenter explicare et retinere id quod est communicatio idiomatum, quanti custodire sinceram et rectam Incarnationis notionem.

Quoniam vero non modo hæresis nestoriana, quæ dividebat in Christo personas, sed hæresis quoque eutychniana vitanda est, quæ miscebat et confundebat naturas, magna propterea cautione opus est, ac providendum diligentissime, ne quas de Christo verborum formulas adhibeamus, quæ in alterutrum errorem inducere valeant. Multiplices propterea regulas theologi subjiciunt, quas recenset Petavius (a). Princeps tamen et fundamentalis ad quam cetera reducuntur, et a qua cetera pendent ea est, ut quæcumque de naturis mutuo prædicantur, aut de Christo contraria proferuntur, ad suppositum seu personam referantur, non autem ad naturas seorsim sumptas; vel etiam, quod idem est, ut proprietates divinæ et humanæ de se mutuo enunciari tantum possint *concretis*, non autem *abstractis* vocabulis.

Nestorius priorem datæ regulæ partem negabat et profitebatur se non posse admittere Deum binulum aut trimulum, nec B. Virginem posse deiparam nuncupari, ut suo loco vidimus. Eutychnes ex contrario principio nitentur subtrahere alteram nostræ regulæ partem. Utramque nos propterea defendere cogimur.

PROPOSITIO I. — *Admittenda est in Christo idiomatum communicatio in concreto.*

Hæc propositio ad fidem catholicam spectat quam perpetuo professæ ecclesie est. Hanc vero communionem seu communicationem idiomatum admittendam esse tot illa scripturarum testimonia evincunt, in quibus unus idemque Christus modo Deus et Filius Dei, modo homo et filius hominis nuncupatur. Rursum eam illa omnia loca ostendunt in quibus scripturæ diversa plane ratione et varie de uno eodemque Christo loquuntur, ac nunc eum de cælo descendentem perhibent, nunc e muliere genitum; alias Deum anteriorem seculis omnibus, ac rursus novissimis diebus hominem; modo Deum crucifixum, modo hominem in cælo conversantem; ut disputantes adversus Nestorium et Eutychem prolatis scripturarum oraculis ostendimus. Unde in symbolo nicæno-constantinopolitano idem Christus dicitur a Patre natus ante omnia secula, Deus de Deo, atque idem rursus dicitur propter nos homines incarnatus, natus ex Maria Virgine, passus, mortuus et sepultus.

Patres ex hac nominum permutatione ad convincendos hæreticos valida identidem argumenta conficiunt; supervacaneum propterea censemur illorum singillatim verba proferre. Unus audiatur Gregorius Nyssenus, qui ante exortam nestorianam hæresin

(a) Lib. IV. c. XVI. duodecim regulas enumerat, quas ex patribus græcis et latinis collegit.

floruit, sic Apollinarem perstringens: « Propter exactam assumptæ carnis, assumptisque divinitatis unitatem mutuo nomina permutantur, ut quod humanum est divino, quod divinum est humano nuncupetur (a). »

Ratio demum theologica desumitur ex ipso hujus idiomatum communionis fundamento. Cum enim duæ natura artissimo nexu consociatæ sint et in una eademque persona subsistant ejusque propriæ sint, plane consequitur posse pro diversitate naturarum diversa de una eademque persona enunciari, quæ inter se contraria videntur.

DIFFICULTATES.

Obj. 1. Quamvis homines in una natura conveniant, falso quod unius est proprium de altero enunciaretur, multo igitur minus in Christo, quod proprium naturæ divinæ est, de humana et vicissim quod proprium est humanæ naturæ prædicari possunt de divina, quæ infinito intervallo inter se distant. 2. Sane magis conveniunt tres personæ divinæ ad invicem quam humana et divina natura in Christo, quin tamen in Trinitatis mysterio una persona de altera prædicetur, nec enim dici potest e. g. quod *Pater sit Filius*, ergo 3. multo minus admitti id potest in mysterio Incarnationis. 4. Præterea unio duarum naturarum in Christo comparatur unioni corporis et animæ in homine, ut patet ex symbolo athenasiano; porro de homine dici nequit *anima est corpus* et e converso. 5. Neque omittendum toti Trinitati singulisque personis convenire quod de Deo prædicatur *absolute* non autem *relative*; at nomen *homo* non est *relativum* sed *absolutum*; si igitur quæ hominis sunt de Deo prædicantur in Incarnatione, sequitur de tota Trinitate personisque singulis illud prædicari posse. 6. Hinc si vera est hæc propositio: « Homo est Deus, » hæc pariter vera foret: « Homo est Pater æternus » juxta syllogismum a Scoto ita institutum: « Homo est Deus: sed Deus est Pater, Filius et Spiritus Sanctus; Ergo homo est Pater, Filius et Spiritus Sanctus, » quod absolum esse nemo est qui non videat. 7. Quod demum falsitatis arguit assertam propositionem est, quod ea, quæ naturæ humanæ conveniunt, iis opponantur, quæ divinæ naturæ propria sunt. Siquidem ea quæ propria sunt humanæ naturæ imperfecta sunt, finita ac limitibus circumscripta, contra vero perfectissima et infinita quæ sunt propria naturæ divinæ: misceri propterea deberet simulque conjungi finitum et infinitum, perfectum et imperfectum, quod repugnat; 8. præsertim cum *assumit* ita conveniat naturæ humanæ, ut nullatenus de divina prædicari possit. Ergo.

R. Ad 1. D. Seposita hypostatica unione, C. hæc constituta N. Quilibet enim homo in propria subsistit hypostasi.

Ad 2. D. Quæ tamen distinguuntur secundum hypostasi.

(a) Epist. ad Theophil. ep. Alexandr. Opp. ed. Paris 1615. T. II. p. 697. Reliqua patrum testimonia recole apud Petav. l. IV, c. XV.

postasim, C. secus N. in Christo autem una est persona utriusque naturæ.

Ad 3. Ratione naturæ humanæ, C. personæ N.

Ad 4. D. min. In abstracto, C. in concreto N.

Ad 5. N. min. Prædicatur enim nomen *homo* de Deo ratione unionis hypostaticæ, ideoque relationem importat.

Ad 6. D. Maj. Si Dei nomen assumeretur pro natura, C. si pro persona N. Atque inde responsio patet ad Scoti subtilitatem.

Ad 7. D. Si prædicarentur secundum eandem rationem, C. si secundum diversas rationes, duarum nempe naturarum N.

Ad 8. D. Ratione sui ipsius, C. ratione suppositi N. Consulatur S. Th. 3. p. q. 26. ar. 1. seqq. Neque enim in his diutius nobis immorari fas est.

PROPOSITIO II. — *Nullo modo admitti potest communicatio idiomatum in abstracto, nec tribui proinde Christi humanitati omnipotentia, ubi quæ sit, seu omnipresens.*

Et hæc propositio ad fidem catholicam pertinet, quam constanter professæ est ecclesie: longe aliter docere lutherani ad adstruendam humanitatis Christi ubi quæ sit, seu ut loqui malunt, *omnipresens* (a).

Ejusmodi enim lutheranorum commentum everunt 1. omnia illa scripturarum testimonia, quæ Christum exhibent ambulatam ac de loco in locum transeuntem, quæ innumera sunt: 2. illa omnia quæ ita exhibent Christum in uno loco commorantem, ut negent alibi esse, sic Jo. XI. 15. Christus loquens de Lazaro inquit: « Et gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum. » Martha quoque: « Domine, si fuisses hic, inquit, frater meus non fuisset mortuus (b); » tum Angelus Marc. XVI. 6. ad mulieres parentandi causa venientes « Surrexit, ait, non est hic: ecce locus ubi posuerunt eum; » 3. ea omnia, quæ post resurrectionem gloria jam et immortalitate donatum certo loco contineri Christum referunt; sic Petrus Act. III. 21. de Christo ait: « Quem oportet quidem cælum suscipere, usque in tempora restitutionis omnium, » et Angelus post ascensum Domini: « Hic Jesus, inquit, qui assumptus est a vobis in cælum, sic veniet, quem admodum vidistis eum euntem in cælum. »

Eidem commento adversantur pariter fidei symbola, quæ declarant Unigenitum Dei Filium incarnatum esse, et in utero Virginis conceptum, indeque in

(a) Elsi enim Lutherus ejusque assectæ eutychniana labe infecti contendunt ob assumptam a divino Verbo in unitate personæ humanam naturam huic divinas proprietates communicatas fuisse, præsertim vero *immensitatem* qua Deus ubique est, *ubiquitatis* et *ubiquitarum* vocabula iniquo animo serunt, eisque reclamare solent. Excogitatam porro ab ipsis ejusmodi hæreticum paradoxum est ad tuendam realem corporis Christi præsentiam in Eucharistia, quin adverterint, ut ostendit Bellarminus lib. III. de Christo c. XIII. ubi quæ sit, pugnam cum ipso sacramento Eucharistiæ, ipsumque evertere.

(b) Jo. XI. 21.

lucem editum, descendisse ad inferos, in sepulcrum illatum et indidem resurgentem, in cœlum ascendisse, illinc postea venturum ad iudicium, quæ quidem aliaque his similia satis aperte ostendunt Christum Dominum in humana natura definito aliquo spatio comprehensum.

Illud insuper respuunt œcumenicæ synodi, cujusmodi sunt chalcedonensis, constantinopolitanæ. II. et III. quæ statuunt duas in Christo convenisse naturas inconfusas, et impermixtas cum perfectione et differentia uniuscujusque propria, nec non generalis VII. seu nicæna II., quæ proscribit iconoclastas *incircumscripam* asserentes in Christo humanam naturam.

Illud ipsum denique rejiciunt ecclesiæ Patres tum græci tum latini, quorum testimonia longo agmine profert Petavius (a). Ne ea singillatim proferamus, quod hujus tractationis angustia non patiuntur, contenti erimus rationem theologicam ab ipsis, nominatim vero a s. Athanasio adductam urgere.

Cum divina attributa unum sint cum divina essentia, non potest *formaliter*, ut aiunt, unum attributum sine alio, imo sine divina essentia communicari; ergo non potuit communicari humanæ Christi naturæ immensitas atque ubiuitas, sive omnipræsentia, quin communicata ei fuerit æternitas imo et ipsa divinitas; atqui hoc absurdum est et implicat, Ergo (b).

DIFFICULTATES.

I. Obj. Scriptura tria de Christo homine affirmat, quæ ubiuitarum thesim mirifice statuunt. Ac 1. quidem in ipso inhabitare « Omnem plenitudinem divinitatis corporaliter » (c), quæ cum iis congruunt, quæ de se ipso asserit Christus inquit: « Omnia mihi tradita sunt a Patre meo » (d), seu ut clarius adhuc apud Jo. XVI. 15, ait: « Omnia quæcumque habet Pater mea sunt; » quibus significat divinas proprietates humanæ suæ naturæ communicatas fuisse, ideoque et ubiuitatem. Affirmat præterea scriptura Christum hominem peculiaribus attributa omniſcientiæ et omnipotentia habuisse, ut liquet ex Epist. ad Coloss. II. 5. In quo (Christo) sunt omnes thesauri sapientiæ et scientiæ absconditi; et sane ipse, ut dicitur Jo. II. 25. noverat internas hominum cogitationes; et « Opus ei non erat, ut quis testimonium

(a) Lib. X. VIII. et IX.

(b) Cf. Bellarmin. l. c. Gregor. de Valentia de Incarnat. quæst. II. punct. III. § 4. seqq. Becan. Manuale controvers. lib. II. cap. I. qui et originem detegunt hujus controversiæ exortæ inter lutheranos et sacramentarios, et innumeras prope subtilitates quas lutherani witembergenses invexerunt, ut se tum a catholicorum, tum a sacramentariorum argumentis subducerent, persequantur, eosque validissime confutant, ita ut postea ipsos ejusmodi doctrinæ puduerit. Hinc sensim eam dereliquerunt. Jam nemo lutheranorum est qui hanc doctrinam tueatur. Supervacaneum propterea est modo velle pluribus ei insistere, ac omnes hujus controversiæ sinuositates exponere; esset enim tempus inutiliter terere.

(c) Coloss. II. 9.

(d) Luc. X. 22.

perhiberet de homine; ipse enim sciebat quid esset in homine. » Siquidem ut eum alloquitur Petrus Jo. XXI. 17. « Tu omnia nosti. » Quare de Agno occiso ab origine mundi, seu de Christo secundum humanam naturam Apoc. V. 12. dicitur: « Dignus est accipere virtutem et divinitatem et sapientiam, et fortitudinem et honorem et gloriam et benedictionem, » id est omnia attributa divinæ naturæ ideoque et potestatem judicariam, quæ Deo soli competit J. V. 27. tum mortuos vivificandi ib. 21. et remittendi peccata Matth. IX. 6.; quidni igitur et omnipræsentiam communicaverit? quamquam inductione opus non sit, cum et hanc et scriptura aperte et expresse tribuat dum 5. de Christo affirmat, quod ubique præsens sit, ut Matth. XVIII. 20. « Ubi sunt duo vel tres congregati... ibi sum in medio eorum; » et ib. XXVIII. 20. « Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi » Paulus vero Ephes. I. 22. dicit Christum datum esse « Caput super omnem ecclesiam, quæ est corpus ipsius et plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur » et clarius adhuc ib. IV. 10. « Qui descendit, ipse est et qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia. » Quæ omnia confirmantur ex ejus sessione ad dexteram Dei, quæ ubique profecto est (a). Ergo.

R. N. A. Ad omnes vero probationes primæ et secundæ classis D. In Christo, seu toto ejus supposito, C. in ejus humanitate formaliter sumpta N. Et sic omnia allata scripturarum testimonia accipi debent, quæ manifeste de tota Christi persona loquuntur.

Ad prob. tertiæ classis D. Et adducta scripturarum oracula vel de adsistentia, spirituali protectione et auxilio disserunt, ut duo priores textus, C. de præsentia corporali N.

Vel de Christo prout est caput mysticum corporis mystici quod est ecclesia, ut Ephes. I. 22., C. prout est caput reale realis corporis N. aut de potentia dominationis suæ, ut Ephes. IV. 10., C. corporali omnipræsentia N.

Ad confirm. vero ex sessione Christi ad dexteram Patris D. Ratione suppositi, C. humanæ naturæ N. Adde de justorum animabus dici pariter Sap. III. 1. quod « In manu Dei sunt », eadem porro ratione subsumi posset: sed manus Dei est ubique, ergo et justorum animæ; quod nemo certe contendet.

II. Obj. Sancti Patres aperte docent Christum ubique esse, ut inter ceteros s. Cyrillus alex. Lib. XII. in Joan. c. XXXII.; quæ patrum doctrina ipsi rationi congruit. 2. Christus enim est Verbum divinum; sed Verbum divinum est ubique; ergo et Christus ubique est; 3. rursus: Deus omnipotens est et ubique præsens, sed homo in Christo Deus factus est, igitur homo in Christo omnipotens et ubique præsens est; 4. Christi humanitas hypostatice est unita divinæ naturæ, ergo ubi est natura divina ibi est natura humana, alioquin dici non posset unita toti naturæ

(a) Ita Franc. Buddens.

divinæ sed ejusdem parti; vel saltem alicubi esset divinitas quæ unita non esset humanæ naturæ, quæ falsa sunt et absurda. Ergo.

R. Ad I. N. Sed contrarium potius ubique docent Patres disputantes adversus apollinaristas, et eutyechianos qui inducebant confusionem naturarum (a); dum itaque videntur Christo tribuere immensitatem, vel loquuntur de Christo ratione suppositi seu personæ divinæ, scilicet in concreto, vel loquuntur de ejus reali præsentia in Eucharistia ut nominatim Cyrillus I. c. et tunc neque immensitatem proprie dicitur, aut ubiuitatem prout Deo competit Christo tribuunt, seu ejus corpori, sed eam præsentiam, quæ communicata ei sit per divinam omnipotentiam, et voluntatem, quæ in replicatione corporis consistit (b).

Ad 2. D. M. Quatenus est persona vel suppositum, C. quatenus est humana natura, quo sensu in adducto paralogismo sumitur N.

Ad 3. D. min. Homo in Christo Deus factus est ratione hypostatice unionis, C. formaliter N.

Ad 4. D. M. Sed inadæquate, C. adæquate N. Nempe humana natura conjuncta est hypostatice divini Verbi personæ prout fert finita et imperfecta ejusdem humanæ naturæ conditio; hinc ubicumque adest natura humana ipsi inest natura divina, sed non vicissim. Fac solem crystallinum discum perfecte pervadere, ubicumque est crystallinus discus inest sol, non vero contra; idem dic de vento undique appensum velum pervadente. Atque ex his patet ceteras sequelas sponte sua ruere, quas adversarii inferunt, quæ supponunt hypostaticam unionem factam esse per quandam localem coexistentiam, quod stultum est asserere; per hypostaticam enim unionem regitur a Verbi persona humanitas, quæ in ea et per eam subsistit. Hac porro divina subsistentia non obstante, humana Christi natura in suo esse, ut aiunt, et perfectionibus et attributis sibi propriis manet, ut disputantes adversus eutyechianos ostendimus (c).

ARTICULUS II.— De Christi adoratione.

De Christi adoratione, quæ est alterum propositæ doctrinæ caput et unionis hypostatice consecrarium perperam senserunt ex antiquioribus hæreticis apollinaristæ, eutyechiani ac nestoriani; ex recentioribus Wicleffus et sociniani plerique. Apollinaristæ enim et eutyechiani docuerunt unam quidem Christo adorationem tribuendam, at id asseruerunt ducti hæretico principio de confusione naturarum in Christo; nesto-

(a) Cf. Petav. l. c.

(b) Stulte propterea qui hæc effutunt duo permiscunt, quæ toto cœlo inter se differunt, immensitatem, quæ attributum est incommunicabile divinæ naturæ cum corporis reduplicatione, quam possibilem esse suo loco philosophi et theologi ostendunt. Fieri enim potest, ut idem corpus in diversis locis divina virtute ponatur, quin tamen aut immensum aut ubique esse dicatur aut sit. Cf. Pet. I. X. c. X. § 10. seqq.

(c) Leviter hanc questionem attigimus, quæ jamdiu obsolevit ut diximus, apud ipsos protestantes.

riani vero etsi Christum ut hominem quoque patriæ cultu adorandum esse autumarent, duas tamen adorationes, quarum altera seorsim Dei Verbo, altera seorsim homini exhiberetur, introduxerunt, ideo quia duas in Christo distinguebant personas. Wicleffus autem Christum hominem etiam a Verbo seunctum, eadem qua Verbum adoratione, colendum esse affirmabat (a). Sociniani denique qui negant Christi divinitatem in duas factiones divisi sunt, scilicet in *adorantes* et in *non adorantes*. Primi putant cultu patriæ Christum esse adorandum eo quod tanquam legatus referat personam Dei, alii autem recusant Christo ejusmodi cultum.

Synodus pistoriensis ut sibi viam sterneret ad impugandum cultum sacratissimi cordis Jesu, asserit: « Adorare directe humanitatem Christi, magis vero aliquam ejus partem, fore semper honorem divinum datum creaturæ (b). » Hinc invehitur in ipsum cultum, et in cultores cordis Jesu. Hæc autem doctrina non ita pridem a schismatico episcopo janseniano revocata est, qui inter sectarios recenset illos Christi fideles, qui divino cultu cor Jesu prosequuntur (c).

Ut germanam propterea Ecclesiæ doctrinam circa debitam Christo adorationem tueamur, duo præstabimus. Primum ostendemus adversus recensitos hæreticos uno eodemque supremo patriæ cultu humanam Christi naturam cum Verbo divino esse adorandam. Deinde adversus pistorienses ac jansenistas reliquos sedis apostolicæ, quæ cultum cordis Jesu probavit, vindicias sumemus, ostendentes ejusmodi cultum omni superstitionis labe esse prorsus immunem.

PROPOSITIO I.— Uno eodemque supremo patriæ cultu humana Christi natura adoranda est cum Verbo divino cum quo est hypostatice conjuncta.

Est de fide; contradictoria enim propositio proscripta est in concilio generali V. can. IX. his verbis

(a) Hoc nempe adstruit Wicleffus in impossibili hypothesi, quod Christi humanitas a Verbi persona separaretur, prout refert Thom. Waldensis Or. Carm. in suo *Doctrinali antiquitatum fidei* in prologo in primam partem ubi recensens errores Wicleffi, inter ceteros et hunc ponit: « Humanitatem Christi, si per impossibile dimitteretur, adorarent verum seculi Salvatorem. » Venet. 1571. t. I. p. 15.

(b) Quæ est prop. LXI. et in Constit. *Auctorem fidei* hæc censura perstringitur: « Quatenus per hoc verbum *directe* intendat reprobare adorationis cultum, quem fideles dirigunt ad humanitatem Christi, perinde ac si talis adoratio, qua humanitas, ipsaque caro vivifica Christi adoratur non quidem propter se, et tanquam nuda caro, sed prout unita divinitati, foret honor divinus impertitus creaturæ, et non potius una eademque adoratio, qua Verbum incarnatum cum propria ipsius carne adoratur ex conc. V. gen. cau. 9. *falsa, captiosa, ac debito cultui humanitatis Christi a fidelibus præstito, ac præstando detrahens, et injuriosa.* »

(c) Grégoire, ancien évêque de Blois, *Histoire des sectes religieuses*. Paris, 1828, liv. III, ch. XX, *Cordicoles*, ou *Histoire critique des dévotions nouvelles au sacré cœur de Jésus et au cœur de Marie*. In quo capite ut in pluribus aliis certare inter se videntur falsitates, calumniæ, mendaciæ, quæ Auctor licet centies proterita, ac si primum a se proferantur, in medium adducit.

concepto juxta versionem lateranensis synodi. « Si quis adorari in duabus naturis dicit Christum, ex quo duas adorationes introducunt, semotim Deo Verbo, et semotim homini: aut si quis ad peremptionem carnis, aut ad confusionem deitatis et humanitatis, unam naturam sive essentiam convenientium portentose dicens, sic adoratur Christum, sed non una adoratione Deum Verbum incarnatum cum ejus carne adoratur, juxta quod sanctæ Dei Ecclesie ab initio traditum est: talis anathema sit (a). »

Priusquam vero hujus veritatis argumenta proferrantur, nonnulla quæ lucem affundant, præmittenda sunt ad omnem ambiguitatem tollendam.

Ac I. quidem animadvertendum est aliud esse *objectum* cultus nostri in materia de qua est sermo, aliud *motivum*. Objectum est ipsa caro, seu potius humanitas Christi prout subsistit in Verbo, seu in *concreto*, quæ adoratur directe, immediate, et in se (b); motivum est unio hypostatica, qua factum est ut caro illa sit *propria Verbi* seu *caro Dei*, ut Patres loquuntur (c). Hinc etsi caro Christi adoratur in se, non adoratur tamen *propter se*, quod proprium est solius divinitatis, quæ est simul objectum et motivum supremi patriæ cultus, ac propterea sola adoratur in se et *propter se*.

II. Cum igitur fundamentum seu motivum istius supremi cultus quo Christi humanitatem prosequimur, sit unio hypostatica, plane consequitur adorationem ejusmodi non terminari aut sistere in ipsa Christi humanitate sed in Verbo, quod ei factum est subsistentia, ut loquitur s. Jo. Damascenus (d).

III. Demum notandum est perinde esse adorare Christi humanitatem seu carnem ac adorare Christum ipsum, qui Deus homo est, neque unquam adorari posse ejusmodi cultu humanitatem Christi in

(a) Cf. Acta. conc. Hard. tom. III. col. 198. tum concil. lateran. sub Martino I. act. seu secretario IV. ib. in collect. Hard. col. 859. Quibus addi possent epist. synodica conc. alex. ad Nestorium a Cyrillo data, et concil. chalcædonense act. V.

(b) Permissæ nequeunt perinde ac synonyma essent adverbia *directe*, *separatim*, *primario*; etenim tum ex lexicis tum ex communi loquendi usu constat has voces aliud omnino non vero idem significare. Hinc fieri potest, ut adoratio *directe* tribuatur humanitati Christi, quin ei tribuatur *separatim* et *primario*, in eaque terminetur. Qui propterea generatim et univèrsè statuit humanitatem Christi non posse *directe* adorari adoratione patriæ, hoc ipso generatim et univèrsè excludit omnem modum, quo talis adoratio dirigi potest ad humanitatem Christi, etiam cum ad eam dirigitur non propter se, nec separatim a divinitate, sed ita ut non in ea terminetur, sed in Verbo in quo humanitas Christi subsistit. Sublata proinde quacumque *directa* adoratione patriæ erga humanitatem Christi hoc ipso tollitur omnis eidem exhibenda adoratio patriæ, cum intelligi nequeat exhiberi posse cultum quin illud objectum respiciat cui tribuitur. Merito propterea ut erronea notata fuit propositio synodi pistoriensis. Cf. Gerdil in Animadv. in notis Feller. § 2. not. 1. opp. Auct. ed. rom. tom. XIV.

(c) Cf. apud eund. § 1.
(d) De fide orth. d. lib. III. c. VIII. Eius verba inferius dabimus.

abstracto, sed semper coli debere in concreto, seu totum in integrum Christum, qui profecto in partes discerni nequit (a).

His ita compositis, ut ceptum insistamus iter, sic veritatem thesisi nostræ adstruimus tum ex sacris litteris, tum ex perpetua et constanti patrum traditione et ecclesiæ sensu, tum denique ex ratione ipsa theologica.

Scripturæ passim supremo patriæ cultu Christum, nempe Deum hominem adoratum, atque adorandum exhibent. Sane Apostolus Hebr. I. 6. scribit: « Et cum iterum introducit primogenitum in orbem terræ, dicit: et adorent eum omnes Angeli Dei » et rursus in Epist. ad Philipp. II. 10. « In nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium et infernorum ». Quapropter Magi divino impellente Spiritu Christum Jesum « Procidentes adoraverunt (b) » et cæcus na-

(a) Ex his patet immerito Feller (qui tamen aliunde optime de christiana et catholica fide meritis est tot præclaris operibus quibus eam egregie defendit et illustravit) in notulis quas apposuit Constitutioni *Auctorem fidei* inter cetera scripsisse: « Unde merito, si accuratio theologica spectetur, culpatur illa separatio in oratione *Sacrosanctæ et indivisæ Trinitatis*, crucifixi D. N. J. C. humanitati » etc. Hoc enim ipso quod vocatur *humanitas Christi*, evidens est spectari Christi humanitatem in Verbo subsistentem et in concreto, nec ullam induci divisionem ac separationem, alioquin pari jure culpanda esset oratio, quam ecclesia in sacra liturgiæ secretis per annum recitare consuevit: *Unigeniti tui Domine nobis succurrat humanitas*; culpanda item invocatio cum patriæ cultu conjuncta, quæ fit a sacerdote sacram hostiam sive sumente, sive porrigente: *Corpus D. N. J. C. custodiat animam meam, vel tuam, in vitam æternam*. Quis enim unquam dixerit in ejusmodi invocationibus injici suspensionem aut periculum separationis? Ceterum distincta mentio quæ in objecta oratione fit Trinitatis et humanitatis Christi crucifixi, eo spectat, ut distincte recolantur, ac velut in recitantium officium mente defixa tepeantur duo præcipua fidei nostræ distincta mysteria, sacrosanctæ nimirum Trinitatis et Incarnationis Christi Domini, beatæque passionis, quam pro generis humani salute in sua humanitate sustinuit. Cf. Gerdil l. c.

Ast longe pejus a veritate discessere jansenistæ, qui præfatam orationem, quam plures a s. Bonaventura confectam tradunt, quamque Leo X. et Urbanus VIII. commendarunt et indulgentiis aliisque gratiis spiritualibus ditaverunt, quam denique universa usurpat Ecclesia, velut ineptam et erroribus scatentem traducere non dubitarunt, ut D. Pannalini episcopus clusensis et pientinus, qui eam vocavit « Formula di pregare indigesta » et extensor demum calendarii ejusdem diocesis scribere non erubuit: « Pluribus scaturit erroribus; » ast apposite cf. Auctor dictionarii Ricciani et anti-Ricciani can. Guasce de ejusmodi calendariographo scribit: « Multa ipse scaturit ignorantia » Cf. Dict. art. 145. ac supplementum « All giorn. eccles. di Roma 1789. quint. IV. p. 255. seq. »

(b) Matth. II. 11. Religiosam ac lateenticam fuisse hanc Magorum adorationem, secus ac cum Richardo Simonio nonnulli audaces critici autumant, omnia hujus facti adjuncta suadent. Quare cum Richardus in multorum incidisset reprehensionem ob ejusmodi sententiam, quam in versione gallica N. T. emiserat, eam postea emollivit in sua historia critica N. T. Notandum porro est vocem *προσκύπτει* perinde valere ac *cadentes, prostrati* etc. Cf. Lib. Fassonii Diss. de cultu Jesu Christo a Magis exhibitio adv. Richard. Simonium

tas interrogatus a Christo: « Tu credis in Filium Dei? » Respondit: « Credo Domine, et procidens adoravit eum (a). » Hanc eandem adorationem exhibent Apostoli eidem Christo a mortuis excitato « Videntes eum adoraverunt (b). » In his porro similibusque testimoniis agi de adoratione patriæ delata toti Christo, nempe homini Deo constat tum ex verbis ipsis, tum ex toto contextu atque ex sensu ecclesiæ ac totius antiquitatis (c).

Hinc Patres perpetuo insectati sunt eos, qui vel ejusmodi cultum Christo denegabant, ut plures ariani, vel qui Christi humanitatis adorationem inficiabantur ut apollinaristæ, qui catholicos convicii causa vocabant *ἀπολλινάρτας*, seu *hominicolos* (d), et unanimiter docuerunt Christi carnem Verbo conjunctam supremo patriæ cultu esse adorandam; ita Athanasius, Epiphanius, Gregorius Naz. atque Nyssenus, Ambrosius, Augustinus, Joannes Damascenus alique apud Petavium (e). Ne longiores simus quam par est, nos unius Augustini verba proferemus ex Patribus latinis, et Jo. Damasceni ex Patribus græcis. Sic igitur loquitur s. Augustinus enarrans verba Ps. XCVIII. *Adorate scabellum pedum ejus*: « Fluctuans convertito me ad Christum, quia ipsum quero hic; et invenio quomodo sine impietate adoretur terra, sine impietate adoretur scabellum pedum ejus. Suscepit enim de terra terram: quia caro de terra est, et de carne Mariæ carnem accepit. Et quia in ipsa carne hic ambulavit, et ipsam carnem nobis manducandam ad salutem dedit: nemo autem illam carnem manducat, nisi prius adoraverit; inventum est quemadmodum adoretur tale scabellum Domini, et non solum non peccemus adorando, sed peccemus non adorando (f). » S. autem Jo. Damascenus rationem præterea theologiam includit scribens: « Neque enim adorandam esse carnem ejus negamus: quippe quæ adoratur in una Verbi persona, quæ quidem ipsi persona et hypostasis facta est. Qua in re non creature servimus; non enim illam, eam nudam carnem adoramus, sed velut divinitati unitam, et quia duæ ipsius nature ad unam Dei Verbi personam reducuntur, unamque subsistentiam. Carbonem tangere ob ignem cum li-

et Sam. Basnagium in Thes. theol. Zachariæ tom. IX. p. 759.

(a) Jo. IX. 38.

(b) Matth. XXVIII. 17.

(c) Cf. Maldonatium in Comment. in IV. evang. ad cit. loc.

(d) Nempe apollinaristæ unice Christum adoratione venerandum esse docuerunt; sed aliter ac catholica fides habet, communem cum ea sententiam interpretati sunt. Cum enim unionem duarum naturarum inficiarentur hæretici illi; docebant Christum non esse hominem perfectum ac nostri similem, sed solam carnem a Verbo esse susceptam eamque e cœlo delapsam, et Patri *ἐποδότης*, hoc est *ejusdem substantiæ* cum Deo statuerunt, ut latissime tradit s. Athanasius in lib. *De Incarnatione*, qui illos propterea arguebat, quod Incarnationem revera e medio tollerent, hoc est humanæ carnis assumptionem, nec aliud præter quam solam carnis speciem ac larvam admitterent, quemadmodum marcionitæ et manichæi. Hac propterea perversa imbuti sententia unicum Christo docebant adorationem esse tribuendam. Ceterum hæc animadversio confert tum ad intelligentiam canonis IX. quem attulimus conc. V. gener., tum ad intelligentiam nonnullorum patrum testimoniorum, qui præfatos hæreticos impugnarunt. Catholici autem et ipsi docent unice adoratione in utraque natura Christum esse prosequendum, sed ob unitatem personæ.

(e) Lib. XV. c. III. § 7. seqq.

(f) Enarr. in ps. XCVIII. n. 9. ed. maur. t. IV. Adnotant vero Maurini editores opp. s. Ambrosii in nota ad n. 79. libri III. de Spiritu s., quod s. Augustinus fidelissimus s. Ambrosii discipulus exponens supra citatam ab Ambrosio psalmi XCVIII. verum,

quo conjunctum vereor. Ambas Christi naturas ob unitam carni divinitatem adoro (a). »

Ex his patet hujus veritatis rationem theologiam esse hypostaticam unionem Verbi cum humanitate. Cultus enim et adoratio toti rei subsistenti tribuitur, atque ad personam proprie refertur: atqui natura divina et humana simul conjuncte in unitate personæ divini Verbi totum ac unum Christum constituent. Igitur natura ipsa humana uno eodemque supremo patriæ cultu cum Verbo divino est adoranda, non quidem propter se, ut superius adnotavimus, sed propter Verbum.

Et hæc quoad fidei dogma. Disceptari solet insuper a scholasticis num præter illum patriæ cultum quo Christi humanitatem prout Verbo conjuncta est, adoramus, possit deferri cultus patriæ inferior, quem vocamus *hyperduliam* huic ipsi humanitati quatenus mentis præcisione distincta apprehenditur a divinitate. Et alii in aliam atque aliam sententiam abierunt, aut affirmando scilicet aut negando (b). Nobis vero supervacanea hæc questio videtur, imo et periculi plena. Ceteris enim omissis, cum ex superius dictis constet totam rationem existentie hujus humanitatis esse subsistentiam Verbi, sine qua humanitas Christi in concreto nec est, nec concipi potest, velle eam mentis præcisione separare ad ei cultum tribuendum distinctum inferioris ordinis, perinde esse videtur ac ipsam destruere ad eam honorandam. Demum, ut verbis utar Thomassini, quid attinet novos excogitare et congerere illi carni honores? An ei abunde non sufficiunt divini? An ei non sufficiunt, qui Deo sufficiunt? An illi parum est, quod Deo satis est (c)?

DIFFICULTATES.

Obj. 1. Non adoratur supremo patriæ cultu nisi Deus. Jamvero caro Christi non est Deus. 2. Hinc s. Augustinus « Honoratur, inquit, homo Christus; sed non sicut Pater Deus. Quare? Quia secundum hoc dixit: Pater major me est (d). » 3. Et s. Cyrillus, Anathematismo VIII contra Nestorium, asserit, « nefas esse hominem assumptum eadorare cum Deo Verbo. » 4. Nec prodest unio substantialis humani-

adorate scabellum pedum ejus, ut cum Sacramento altaris accommodaret, non solum Ambrosianas sententias, sed et verba ipsa mutuatus sit. Cf. s. Ambros. I. c. tom. II. opp. pag. 681. eum nota apposita. Ineluctabile enim in utriusque s. Patris verbis argumentum habetur, quod obiter dico, de credita reali Christi presentia in Eucharistia, ac supremo patriæ cultu eidem exhibito.

(a) Lib. III. De fide orthodoxa c. VIII. Ed. Le Quien, cujus erudit editoris cf. notam ad h. l. opp. t. I. p. 216.

(b) Diversas ac discrepantes scholasticorum sententias recenset Vasquez in H. P. s. Thomæ disp. XCVI. cap. I. et seqq. Ipse vero sententiam negantem fuisse tanquam unice veram tenet utpote consentaneam doctrinæ patrum et conciliorum, affirmantem autem sententiam omni argumentorum genere confuat, ostenditque perperam in subsidium hujus doctrinæ adduci auctoritatem s. Thomæ presertim a Cajetano, Suarezio aliisque ejusdem sententiæ patronis. Non aliud enim docet s. Th. 3. p. q. 25. a. 1. et 2. quam adorationem Christo delatam duplici titulo ipsi deferri, tum ratione gratiæ habitualis et donorum, tum ratione deitatis præcipue. Quia utramque apprehendimus et ratione utriusque adoratione dignus est, non autem quod una adoratio possit ab alia separari, aut uni seorsim nature unam adorationem, seorsim alteri aliam exhiberi. Cf. Vasquez l. c. cap. V. n. 54.

(c) De Incarn. lib. XI. c. III. §. 13. ubi tredecim argumenta urget ad excludendam duplicem ejusmodi adorationem, quæ gravissima profecto videntur.

(d) Tract. XXXI. in Jo. n. 13. ed. Maur.

tatis cum Verbo; siquidem ex ea non exurgeret nisi adoratio relativa, non autem absoluta, qualis ad patriæ cultum requiritur; aut, saltem dicendum cum Durando, humanitatem Christi adorandam tantum esse *per accidens*, quod tamen theologi unanimi consensu improbant. Ergo.

R. Ad 1. Dr Ratione sui et propter se, C. ratione hypostaticæ unionis et propter Verbum, prout exposuimus N.

Ad 2. D. Spectata humanitate in se ipsa, C. subsistente in Verbo N. Ibi enim s. Doctor loquitur de humanitate Christi abstracte spectata, non autem in concreto, prout in Verbo subsistit, de qua nos disserimus, cui s. Pater tum in hoc ipso tractatu (a), tum loco in probationibus adducto, luculenter divinos vindicationes.

Ad 3. D. In sensu Nestorii, dividendi personas, C. in sensu catholico N. Una enim adoratio Christi, ut jam animadvertimus et ab Apollinari et a Nestorio, et ab Ecclesia catholica verbis iisdem, sensu longe dissimili prædicatur. Unitas enim adorationis ab Apollinari propugnabatur, ut naturas confunderet, a Nestorio, ut personas divideret, ab Ecclesia, ut geminas inconfusasque naturas in una persona profiteatur. Quare Nestorius dicere solebat, referente eodem s. Cyrillo, « propter gestantem gestatum veneror; propter latentem adoro spectabilem » (b), Cui quidem impietati opponit Cyrillus Anathematismum VIII. cit. qui ita integer se habet: « Si quis audeat dicere assumptum hominem coadorari cum Deo Verbo, et connumerari Deum, tanquam alterum cum altero; adjectio enim *σὺν* (cum) syllabæ hoc cogit intelligi; et non magis una reverentia veneratur Emmanuel, unamque ei glorificationem dependit, juxta quod Verbum caro factum est, anathema sit » (c).

Ad 4. N. C. Etenim per unionem hypostaticam facta est illa caro, caro Dei, Deumque propterea cum carne sua adoramus.

Ad 5. D. Per accidens, id est, non propter se et ex consequenti, C. per accidentalem unionem, quam Nestorius invenit, N. Nec alius est sensus Durandi, qui solum contendit humanitatem illam non esse adorandam propter se, sed propter Verbum, cui copulata est (d).

(a) Tract. cit. n. 6

(b) Adv. Nestor. lib. II. opp. tom. VI. pag. 56.

(c) Ex versione Dionysii Exigui apud Harduin. tom. 1. Act. Concil. col. 1194. Hinc Cyrillus, lib. citato contra eundem Nestorium, ipsum arguit idololatricæ, eo quod non admissa hypostatica ac substantiali unione Christi tamen carnem dixerit eodem cultu esse adorandam ac ejus divinitatem.

(d) Cfr. de hoc ipso argumento s. Thom. loc. cit.

PROPOSITIO II. — *Cultus sacratissimi cordis Jesu, prout ab Apostolica Sede probatus est atque in Ecclesia catholica frequentari consuevit, pius est, et omni superstitionis labe immunis.*

Hæc propositio est certa, ut patet tum ex censura lata a Pio VI, in constitut. *Auctorem fidei*, ad propos. 62 synodi Pistoriensis, his verbis concepta: « *Doctrina, quæ devotionem erga sacratissimum cor Jesu rejicit inter devotiones, quas notat (synodus) velut novas, erroneas, aut saltem periculosas; intellecta de hac devotione, qualis est ab Apostolica Sede probata, falsa, temeraria, pernicioza, piarum aurium offensiva, in Apostolicam Sedem injuriosa;* » tum ex censura qua perstringitur prop. 65. Item in eo quod cultores cordis Jesu hoc etiam nomine arguit (synodus), quod non advertant sanctissimam carnem Christi, aut ejus partem aliquam, aut etiam humanitatem totam cum separatione, aut præcisione a divinitate adorari non posse cultu patriæ. Quasi fideles cor Jesu adorarent cum separatione vel præcisione a Divinitate, dum illud adorant, ut est cor Jesu, cor nempe personæ Verbi, cui inseparabiliter unitum est, ad eum modum, quo exsanguis corpus Christi in triduo mortis sine separatione, aut præcisione a divinitate adorabile fuit in sepulcro, *captiosa, in fideles cordis Christi cultores injuriosa.*

Ex his vero censuris deprehendimus 1° objectum cultus de quo disserimus esse *ipsum cor Jesu*, id est, cor personæ Verbi incarnati; 2° cultum qui specialiter cordi Jesu defertur, esse supremum, seu patriæ, quo nempe personam Verbi incarnati adoramus, a qua nullatenus cor separatur aut separari potest; 3° cultum istum qualis ab Apostolica Sede probatus est, omni prorsus esse superstitione immunem.

Cum ejusmodi *objecto* confundi aut permisceri nequit *motivum* ejusdem cultus. Quod quidem *motivum* multiplex est, ac 1° quidem quia istud sanctissimum cor exhibitum est a Christo ipso tanquam piarum suarum affectionum sedes, quas nos ab ipso mutuari vult, dicens, Matth. 11, 29: « *Discite a me quia mitis sum et humilis corde;* » 2° quia cor ex communi hominum sensu, et recepto ac universali loquendi usu a Scriptura ipsa consecrato est symbolum amoris, ac propterea cor Jesu est symbolum immensæ illius charitatis et amoris, quo tot ac tanta Christus pro nobis fecit ac perpessus est ad nos redimendum, ac illud potissimum, quod pro nobis instituit SS. Sacramentum corporis et sanguinis sui quo pascimur ac potamur. 3° Quia per hoc sanctissimi cordis symbolum vehementer fideles incalescunt tum ad recolendam Christi morientis passionem, tum ad rependendum eidem Christo amorem et grati animi sensum pro tot beneficiis quibus ab eo affecti et cumulati sunt. Atque hæc sunt, quæ substantiam, ut ita dicam, ac spiritum seu animam ejusmodi

devotionis seu cultus constituunt, prout toties Romani pontifices declararunt.

Nunquam propterea in hoc cultu objectum à motivo separari aut dispesci debet ut plenus ille habeatur. Exurgitenim hic cultus ex utroque *objecto materiali*, ut vocant, et *formali* simul sumptis, seu colitur cor Jesu *in se*, ac prout est *amoris symbolum*. Cor enim verum et reale seu physicum est subjectum ejusdem symboli, quod quidem symbolum sine ipso vero corde concipi nequit. Objectum autem formale, seu motivum rationem suppediat quare cor potius, quam aliud corporis Christi membrum à fidelibus colatur et adoretur, seu cur fideles dirigant speciali modo cultum suum ad cor, quatenus in ejusdem Christi corpore reperitur seu in *totalitate* cum cæteris partibus coexistit, et in personâ Verbi subsistit.

Quibus ad tollendam omnem æquivocationem et præoccupandas difficultates enucleatis, reliquum est, ut veritatem enuntiata propositionis vindicemus. Ad hoc porro conficiendum tria ostendamus oportet, primò cor Jesu in se, seu prout corporea pars est carnis Christi (quod vidimus ab Apostolica Sede probatum ex censurâ prop. 43 syn. Pistoriensis constituere objectum materiale hujus cultus) esse supremo patriæ cultu adorandum; deinde objectum formale, seu motivum ejusdem cultus certum suppeditare fundamentum, quo speciali ratione dirigatur adoratio ad cor Jesu prout symbolum est ejus in nos immensæ charitatis; tertio demùm hunc specialem cultum, qui eordi Jesu defertur, tum ratione sui, tum ratione symboli plim esse atque omni prorsus superstitionis labe immunem. Quæ quidem singillatim breviter ac perspicue ostendimus.

Ad primum autem quod attinet, facile evincitur: de fide enim est, ut ex demonstratis constat, unionem hypostaticam immediate cum totâ Christi humanitate, ac singulis ejusdem humanitatis partibus factam esse, imò hypostaticam unionem Verbi cum humanitate esse rationem formalem quâ humanitas ipsa ac singulæ ejus partes subsistant ac existant in rerum naturâ, seu in concreto. Ergo tum humanitas, tum singulæ ejusdem humanitatis partes colendæ sunt cultu patriæ ob divini Verbi personam, cujus propriæ factæ sunt. Sanè triduo mortis Christi tam ejus anima, quam ejus corpus et sanguis, etsi ab invicem separata essent, colenda erant cultu patriæ ob unionem, quæ semper extitit cum ipsâ divinâ

personâ in quâ subsistebant. Hoc adeò evidens est ex fidei principiis, ut vel ipsi acerrimi impugnatores devotionis cordis Jesu id fateri ultro debuerint (1), atque ante ipsos hanc catholicam veritatem enuntiaverat præstantissimus theologus Sylvius dum affirmavit « *carnem, et animam Christi, et membra corporis ejus adoranda esse adoratione patriæ,* » in 3 p. q. 6, apud Gerd. op. cit. p. 340. Ergo.

Ad alterum verò quod spectat, eadem facilitate adstruitur: etenim illud suppeditare certum fundamentum specialis cultus erga aliquam determinatam partem cujusdam objecti censendum est, quòd ita hanc partem à reliquis distinguit, ut pro eâ talia militent rationum momenta, quæ æquè pro reliquis non valent, neque iis communia sunt. Sanè hoc principio ducta Ecclesia, probavit cultum *quinque Plagarum* Redemptoris solemnî officio, ac missâ peculiari in cujus orat. post comm. sic orat sacerdos: « *Ut qui vulnera D. N. J. C. hodiè devotè colimus.* » Nil aliud autem est vulnus lateris, ut in eo hæreamus, quod propius cor attingit, nisi latus ipsum vulneratum; et ideò hunc cultum probavit Ecclesia, quia etsi includantur hæ partes vulneratæ in toto objecto, quod est corpus Jesu, tamen habent specialem mysticam significationem, et militant pro iis specialia rationum momenta, seu motiva, quæ æquè in reliquis non inveniuntur. Tale porro esse motivum, quo speciali ratione cor Jesu præ reliquis corporis ipsius membris determinatè sit colendum, patet tum ex eo quòd Christus ipse, ut vidimus, cor suum velut piarum suarum affectionum sedem exhibuerit, tum proinde ex eo quòd cor aptissimum symbolum sit immensæ illius charitatis, quâ Christus dilexit nos, et seipsum tradidit pro nobis, quæ quidem charitas à fidelibus sub hoc symbolo speciali ratione recolitur. Ad hanc porro memoriam excitandam potissimum intenderunt summi pontifices in hujus cultus approbatione, prout probarunt festum quinque Plagarum, aliæque festa, quæ ad specialem quamdam Christi corporis partem referuntur ob mysticam illam significationem quam præ se ferunt, quæque peculiarem exhibent in speciali eo cultu defixam recordationem mysterii cujuspiam, insignisve cujusdam redemptionis beneficii.

(1) Sic enim Blasius in opusc. quod *De festo cordis Jesu, dissertatio commonitoria, 1771*, inscribit, cap. 12: « *Cor Jesu, inquit, propriè et per se sumptum ob hypostaticam unionem capax est adorationis patriæ.* »